



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

5 Vtrum hæc sit conueniens forma Baptsimi, Ego te baptizo in nomine  
Patris, & Filij, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

lominus perficiet sacramentū, vt Soto admittit, ergo, signum est, illum præcisum contactum aquæ illo modo factum, esse sufficientem abluionem, & materiam Baptismi: ergo etiam si sit per se intentus, erit similiter sufficiens materia: nam ratio abluionis non variatur ex eo, quod vel casu, vel à consilio emerit non succedat immersioni.

Quocirca, quod Richardus ait ad abluionem requiri, vt corpus, aut pars eius prius cooperiatur aqua & deinde discooperiatur, non est vel ratione aliqua, vel auctoritate fundatum, tum quia ad rationem abluionis per se ac præcisè non requiritur, nisi sufficiens contactus aquæ: vnde si metaphysicè fingamus partem aquæ abluentis contingere partem corporis illique adhærere tempore aliquo, illud nihil obstat, quominus ablutio & sacramentum perficiatur: tum etiam quia, vt dicebamus, optime fieri potest ablutio sub aquis, imo etiam in abluione, quæ fit per asperisionem, tanta posset esse moles aquæ super hominem infusa, vt illum profus obrueret, & operiret, & nihilominus illa esset ablutio sufficiens ad Baptismum.

*Vera responsio.*

*Gabr. Holcot. Panormis. Petr de Aliaco. Sum. Rosel.*

Quapropter alius videtur in eo casu verum perfici sacramentum, quamuis grauius peccet, qui se baptizat, propter homicidium, quod committit. Ita sentit Gabr. in 4. d. 4. qu. 2. artic. 3. dub. 4. circa finem qui refert Holcot & Panormis. in cap. eo. Non vt apponeres de Baptismo. Et idem tenet Petrus de Aliaco in 4. quaest. 2. & sum. Rosel. verbo, Baptismus, Et hæc opinio mihi videtur satis tuta & probabilis, quia reuera nullus essentialis defectus in tali Baptismo ostenditur. Suppono enim, ministrum habere veram ac sufficientem intentionem baptizandi: suppono etiam, proferre integram formam antequam infans moriatur. Et similiter suppono, in illo tempore, dum profertur forma, fieri contactum aquæ de se sufficientem ad Baptismum perficiendum, quid ergo desideratur, vt perficiatur? intentio enim occidendi non obstat, vt probatum est. Item non refert quod immersioni non succedat emeritio: quia totum hoc est accidentarium, dummodo seruetur ratio abluionis, prout seruari potest, sicut probatum est: neque etiam refert, quod significetur sepultura, & non resurrectio: quia hæc representatio non est de essentia Baptismi, sed sola ablutio. Imo ad Rom. 6. sola sepultura dicitur proprie ac formaliter representari per Baptismum: Resurrectio vero solum ex consequenti, quatenus illa mors ad hoc ordinatur, vt in nouitate vitæ ambulemus. Denique non obstat, quod minister proiciat infantem in aquam. Quia si hoc obstat, aut esset propter suffocationem, & hoc non, quia prius fit ablutio, seu contactus sufficiens, & postea sequitur suffocatio, aut esset, quia cum minister proiciat infantem, non videtur ipse abluere, cum non contingat illum, sed hoc etiam non requiritur, quia etiam cum infundit aquam in infantem, non tangit illum, & tamen abluere dicitur, quia efficit contactum aquæ ad puerum: eodem autem modo est causa illius contactus, siue illum faciat mouendo aquam ad infantem, siue è conuerso. Nihil ergo ibi deesse videtur ad veram rationem Baptismi.

*Ratio dubitandi in principio posita respicitur.*

Ad rationem dabitandi in principio positam respondetur: primum, ad Gelasium ( cuius integram Epistolam reperire non potui) dicendum est, per se ac directe solum intendere docere ad Baptisma conficiendum, non satis esse proferre formam in nomine Christi, seu in nomine Domini, sed necessariam esse expressam Trinitatis inuocationem, vt patet etiam ex Capitul. Si reuera, De consecratio. distin. 4. Quia vero eo tempore moris erat, tres personas in tribus immersionibus inuocare, ideo Pontifex obiter vtrumque coniunxit in priori capite, quamuis non sit æqualis vtriusque necessitas. Et ideo in fine absolute concludit, Baptismum datum sine expressa inuocatione Trinitatis esse inualidum: illum vero, qui datur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, esse

validum: nullamque adhibet limitationem, neque ibi mentionem facit trimæ immersionis. Atque idem ad can. ad fere respondendum est ad Apostolicum canonem, *postquam* in quo directe damnatur error eorum, qui baptizabant nomine Christi mortui pro nobis, & ad hunc ritum magis introducendum vtebantur vna immersione tantum. Contra hos ergo docetur, inuocandam esse Trinitatem, & additur, ter esse mergendum, tum propter consuetudinem illius temporis, tum in detestationem illius erroris. Quod vero hæc sit intentio canonis, patet ex ratione, quam subdit, dicens, Non enim dixit Dominus, in morte mea baptizate, sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ad alios Patres respondetur, solum referre consuetudinem, quæ tunc seruabatur propter conuenientem significationem, non tamen sentire illam caremoniam fuisse de necessitate sacramenti, vt ostensum est. Concilium vero Constantinopolitanum damnat Eunomium, quoniam hæretico spiritui & ad introducendos falsos errores, auferebat illam caremoniam. Sicut etiam idem sancti, Basilii lib. de Spiritu sancto, Ambrosii de sacramen. cap. 5. Cyprianus Epist. 70. Tertullianus lib. de Baptismo. cap. 4. referunt alias caremonias, vt verbi gratia, quod Baptismus aqua prius benedicta perficiatur, & alias similes infra suo loco explicandas, quas constat non esse de necessitate sacramenti.

ARTICVLVS V.

Vtrum hæc sit conueniens forma Baptismi: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

**A**d quintum sic proceditur. Videtur, quod hæc non sit conueniens forma Baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Actus enim magis debet attribui principali agenti, quæ ministro. Sed in sacramento minister agit, vt instrumentum ( vt supra dictum est ) principale autem agens in Baptismo est Christus. secundum illud Ioannis primo Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est, qui baptizat. An conuenienter ergo minister dicit, Ego baptizo, presertim, quia in hoc quod dicitur, Baptizo, intelligitur ego. & sic videtur superflue apponi.

2. Præterea, Non oportet quod ille, qui aliquem actum exercet de actu exercito faciat mentionem, sicut ille qui docet, non oportet quod dicat: Ego vos doceo. Dominus autem simul tradidit præceptum baptizandi & docendi, dicens Matth. ultimo. Euntes docete omnes Gentes, &c. Ergo non oportet, quod in forma Baptismi fiat mentio de actu Baptismi.

3. Præterea, Ille qui baptizatur, quandoque non intelligit verba, puta si sit surdus aut puer. Frustra autem ad talem sermo dirigitur, secundum illud Ecclesiastici 32. Vbi non est auditus, non effundas sermonem. Ergo inconuenienter dicitur: Ego te baptizo, sermone directo ad eum, qui baptizatur.

4. Præterea, Contingit simul plures baptizari, & à pluribus, sicut Apostoli baptizauerunt vna die tria millia, & alia die quinque millia, vt dicitur Actuum secundo, & quarto. Non ergo debet forma Baptismi determinari in singulari numero, vt dicitur: Ego te baptizo: sed potest dici, nos vos baptizamus.

5. Præterea, Baptismus virtutem habet à passione Christi. Sed per formam Baptismus significatur. Ergo videtur, quod in forma Baptismi debet fieri mentio de passione Christi.

6. Præterea, Nomen designat proprietatem rei. Sed tres sunt proprietates personales diuinarum personarum, vt in prima parte dictum est. Non ergo debet dici, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in nominibus.

7. Præterea, Persona Patris non solum significatur nomine Patris, sed etiam nomine Inuisibilis, & Genitoris: Filii etiam

etiam significatur nomine Verbi, & Imaginis, & Geniti: Spiritus etiam sanctus potest significari nomine Domini, & Amoris procedentis. Ergo videtur, quod etiam his omnibus vultur perficiatur Baptismus.

SED contra est, quod Dominus dicit, Matth. ult. Euntes docentes omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

RESPONDEO dicendum, quod Baptismus per suam formam consecratur secundum illud, Ephef. 5. Mundans eam lauacro aqua in verbo vita, & Augustinus dicit in libro de vnico Baptismo, quod Baptismus verbis Euangelicis consecratur. Et ideo oportet, quod in forma Baptismi exprimitur causa Baptismi. Est autem eius duplex causa. Vna quidem principalis, a qua virtutem habet: qua est sancta Trinitas. Alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui r' adit exterioris sacramentum. Et ideo oportet in forma Baptismi, de vtraque mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: Ego te baptizo. Causa autem principalis, cum dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vnde haec est conueniens forma Baptismi. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

AD primum ergo dicendum, quod actio attribuitur instrumento, sicut immediati agenti: attribuitur autem huiusmodi actio principali agenti: sicut in cuius virtute instrumentum agit. Et ideo in actum Baptismi conuenienter significatur minister, vt exercens forma Baptismi, per hoc quod dicitur: Ego te baptizo: sicut & ipse Dominus baptizandi actum attribuit ministris, dicens: Baptizantes eos, &c. Causa autem principalis significatur, vt in cuius virtute sacramentum agitur, per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: non enim Christus baptizat sine Patre, & Spiritu sancto. Graeci autem non attribunt actum Baptismi ministris, ad euitandum antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant, dicens: Ego sum Pauli, & ego Cephae. Et ideo dicunt: Baptizetur seruus Christi, talis, in nomine Patris, &c. Et quia exprimitur actus exercitus per ministrum cum inuocatione Trinitatis, verum perficitur sacramentum. Quod autem additur: Ego in forma nostra, non est de substantia forma, sed ponitur ad maiorem expressionem intentionis.

AD secundum dicendum, quod quia ablutio hominis in aqua, propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis forma, ad quid fiat. Quod quidem non fit per hoc quod dicitur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. quia omnia in tali nomine facere debemus: vt habetur Colof. 3. Et ideo si non exprimitur actus Baptismi, vel per modum nostrum, vel per modum Gracorum, non perficitur sacramentum, secundum illam Decret Alexand. 3. Si quis puerum ter in aqua immerfit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen: & non dixerit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen, non est puer baptizatus.

AD tertium dicendum, quod verba que proferuntur in formis sacramentorum, non pronuntiantur solum causa significandi, sed etiam causa efficiendi, in quantum habent efficaciam ab illo verbo, per quod facta sunt omnia. Et ideo conuenienter dirigitur non solum ad homines non intelligentes, sed etiam ad creaturas insensibiles, vt cum dicitur: Exortizote, creatura salis.

AD quartum dicendum, quod plures simul non possunt vnum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si per se ab vnoquoque agatur. Et sic si conuenirent duo, quorum vnus esset mutus, qui non posset proferre verba, & alius carens manibus, qui non posset exercere actum: non possunt ambo simul baptizare, vno dicente verba, & alio exercente actum. Possunt autem (si necessitas exigit) plures simul baptizare, quia nullus eorum reciperet, nisi vnum Baptismum. Sed tunc oportet dicere: Ego baptizo vos. Nec erit mutatio forma, quia Vos nihil aliud est, quam tu, & te. Quod autem dicitur, Nos, non est idem dicere,

quod ego, & ego, sed ego & tu, & sic iam mutaretur forma: similiter autem mutaretur, si diceretur: Ego baptizo me. Et ideo nullus potest baptizare se ipsum: propter quod & Christus a Ioanne voluit baptizari, vt dicitur extra, de Baptismo \* & eius effectus cap. Debitum.

AD quantum dicendum, quod passio Christi, est sit principalis causa respectu ministris: est tamen causa instrumentalis respectu sanctae Trinitatis. Et ideo potius commemoratur Trinitas, quam passio Christi.

AD sextum dicendum, quod est sint tria nomina personalia trium personarum, est tamen nomen vnum essentiale. Virtus autem diuina, que operatur in Baptismo, ad essentiam pertinet, & ideo dicitur in nomine, non in nominibus.

AD septimum dicendum, quod sicut aqua sumitur ad Baptismum, quia eius vsus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas, in forma Baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueuerunt nominari persona in illa lingua. Nec in aliis nominibus perficitur sacramentum.

COMMENTARIUS.

RESPONDET D. Thom. hanc esse conuenientem formam. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Et rationem reddit, quia in hac forma exprimitur duplex causa Baptismi, scilicet principalis, & instrumentalis, ergo est conueniens. Consequentiam probat, quia cum Baptismus verbis formae consecratur, oportet causas Baptismi in ea exprimi.

Circa quem discursum dubitare potest aliquis: nam ex eo sequitur, in omnibus formis sacramentorum exprimendas esse illas duas causas: quia omnia per verba formae consecratur, & in omnibus reperitur illa duplex causa principalis, & instrumentalis; consequens est falsum; nam in forma Penitentiae non exprimitur Trinitas, quae est causa principalis, & in forma Extremae vnctionis non exprimitur persona ministri: & idem videre licet in aliis sacramentis. Quin potius, neque in ipso Baptismo exprimere personam ministris, est de essentia formae, vt D. Thomas hic ad i. faceret, & infra latius dicitur. Et augetur difficultas; nam sacramentum potius est signum sui effectus, quam causa, a qua manat talis effectus: ergo conuenientia formae, potius ex hac significatione, quam ex causarum expressione sumenda est. Responderetur, Diuum Thomam supponere, Christi Domini institutionem, quae est prima radix, & vnica causa assertionis eius: quam in argumento: Sed contra; sufficienter probat ex verbis Christi Matthaei ult. de quibus postea dicturi sumus. Supposita autem institutione, in praedicto discursu solum reddit congruentiam eius, quae non est in eo sensu intelligenda, qui in obiectione facta insinuat, videlicet, vt forma sacramenti sit conueniens, necessarium esse, quod in ea sacramenti causae exprimentur; sed e contrario, quod ea forma, in qua huiusmodi causae exprimentur, hoc ipso iudicanda est conueniens: quia exprimendo causam principalem sacramenti indicatur origo totius sanctificationis & consecrationis sacramenti, & fit principalis quaedam Christianae fidei professio: explicando autem ministrum, declaratur etiam actus eius, qui est materia sacramenti, scilicet ablutio: & significando hunc actum, consequenter significatur effectus, scilicet spiritualis, & interior ablutio: quae per exteriorem significatur, atque ita recte explicatur, nihil deesse tali formae, vt sit conueniens & aptissima: quamuis non omnia ista necessaria sint in omni forma cuiusvis sacramenti: pauca enim sufficere possunt, quia non in omnibus est eadem ratio institutionis, vt suis locis dicitur. Et per haec patet responso ad dubitationes praedictas.

In solutionibus argumentorum tangit D. Th. difficultates aliquas, quae in sequenti disputatione commodius tractabuntur.

